

IUSTI LIPSI
DE CONSTANTIA
LIBRI DVO,

Qui alloquium præcipuè continent
in Publicis malis.

Ultima editio.



*frequens est Lipsij in
libris de constantia, et
in libris politicorum, et
in alijs hujus operibus, in
utroque nomine. Fati: et
quod ipse. asserat,
se Fati nomine, nihil
nisi providentiam divi-
nam pio et christiano
sensu intelligere, atto-
let ei adnectere plures
gentilium Augustorum
sententias obscuras,
qua Ethnico fato poti-
us quam divina provi-
dentia convenire viden-
tur. proinde, cause,
legendas in his, que
obijz. Visserit.*

*Conforme e De 1630. la
y don. 18. de 1640*

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA, *Pauli Therodone*

Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meursium.

M. DC. XXVIII.

*Cum Privilegijs Casareo & duorum Regum,
& Principum Belgarum.*

A D L E C T O R E M
P R O C O N S T A N T I A M E A
P R Æ S C R I P T I O.

QUOD in iteratâ hac editione, iterum te alloquor, Lector, præter votum meum accidit, etsi non præter opinionem. Iudicia enim ista prævidi ante, imò prædixi. Negant satis piè hoc argumentum à me tractatum: negant locis aliquot satis verè. Parum piè idèd: quia Philosophum egisse tantum videor, inquam, nec inspersisse quæ potui & debui è libris sacris. Quæ admonitio valde mihi grata: velim & illis simplex meum & sine fuce responsum. Nam quòd apertam pietatem ante omnia requirunt, amo: hoc tantum moneo, ut oculos prius seridò intendant in finem meum & scopum. Si mihi Theologum agere propositum, aberravi: si Philosophum, cur culpant? Haurimus enim è lacunis, inquam, quæ liceat è purissimo divinarum litterarum fonte. Húcne me vocant? At ego ex animo testor & respondeo, nõ aliam me viam salutis nosse, quàm hanc quæ per unum illum & directum limitem ducat: ad quem tamen percurrendum, humanas etiam litteras laxamenti aliquid afferre censeam, imò adiumenti. Augustini consilium esse scio, quæ à Philosophis scripta sunt colligere, & in vsum nostrum vindicare, possessoribus illis iniustis erepta. Hoc sequi volui:

IUSTI LIPSI

DE CONSTANTIA
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

*Prefatio, & introductio. querela item aliqua
de Belgarum turbis.*



ANTE annos aliquot cum Viennam Austriae iter haberem, fugiens patriae meae turbas: deflexi, non sine deo duce, ad Eburonum urbem. quae nec longè à viâ; & in qua amici, quos salute more suadebar & amore. Inter eos Carolus Langius, vir (sine fraude aut ambitione dicam) optimus doctissimusque Belgarum. Qui cum me hospitio excepisset, non omni solum comitate & beniuolentiâ id temperauit, sed eo genere sermonum qui vtilis imò salutes mihi in omni æuum essent. Ille enim fuit, ille vir, qui oculos mihi aperiret, detersâ vulgarium aliquot opinionum nube: ille, qui viam ostenderet, quâ sine ambage peruenirem, vt cum Lucretio loquar, ad illa

Edita doctrinâ sapientum templa serena.

Nam cum post meridiem feruido sole (præceps enim iam mensis Iunius erat) domi eius in atrio inambularem: quæsiuit, vt sit, blandius de itinere meo & eius causis. Cui cum ego de turbis Belgarum, de insolentiâ Præfectorum & militum, liberè & verè multa dixissem: addidi postremò, prætexi à me aliam, sed hanc intimam esse discessus mei causam. Quis enim Langi, inquam, tam firmo & tam ferreo pectore, qui diutiùs ferendis ijs malis sit? lactamur iam tot annos, vt vides, bellorum ciuiliū æstu: & vt in vndoso mari, non vno vento agitamur barbarum seditionumque. Otium mihi cordi & quies? turbæ interpellant, & strepitus armorum. Horti & rura? miles

A &

* Londinum intellego.

C. Langij vera laus.

Humanitas eius.

Sapientia.

Mala ciuiliū bellorum.